



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. An Reges Francorum ad se traxerint custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Factitatum id ab eis ostenditur variis argumentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

locent, de plebis cura rationem Episcopis reddituros. Vide porro quæ à nobis supra dicta sunt in Notis ad hunc canonem Claromontanum.

CAPVT XXII.

Synopsis.

I. An Reges Francorum ad se traxerint custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Falsitatum id ab eis ostenditur variis argumentis.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia ut adnotet divus Bernardus noluisse electum Lingonensem ullam bonorum administrationem suscipere donec eorum investituram accepisset à Rege. in quo laudatur à Bernardo.

III. Rex Philippus Augustus eam bonorum episcopatum retentionem coërcuit ad Regalia. Ea verò reddi debent electo post consecrationem. Dein Episcopus tenetur Regi præstare juramentum fidelitatis. Quòd si id non fecerit, Dominus Rex poterit saisire Regalia sua, & ea tamdiu tenere donec præstitum juramentum fuerit.

IV. Fruentur præterea Reges redditibus Ecclesie vacantis; ut colligitur ex privilegio quod Papa Formosus concessit Ecclesie Remensi. Explicantur verba hujus privilegij.

V. His tamen redditibus aut collatione Præbendarum non fruuntur Principes ævo Gregorij septimi & sequentium Pontificum. Usus fructus itaque reddituum ecclesiasticorum introductus est post constitutionem Callisti secundi. Inquiruntur in rationem hujus novitatis.

VI. Moris hujus originem arcessendam esse à jure feudorum probatur auctoritate Philippi Pulcri Regis.

VII. Præterea custodia Regalium Principes ad se traxerunt usum fructum decimarum & omnium reddituum temporalium. Quòd ratione non omnino destituebatur. Quoniam vero collatio beneficiorum censetur pertinere ad fructus, ex eo factum ut Reges ad se traxerint collationem Præbendarum. quod jus vetustum est in Anglia.

VIII. In Gallia, jam inde à temporibus Ludovici junioris, Reges fruuntur redditibus episcopatus vacantis.

IX. Omnes redditus episcopatus vacantis ad Regem pertinent, atque etiam omnia mobilia Episcopi, si decesserit intestatus.

X. Ævo Philippi Augusti receptum erat Præbendarum collationem ad Regem pertinere sede vacante.

XI. Hanc esse antiquam & approbatam consuetudinem regni aiebat idem Philippus. Adeo autem solidata erat hac potestas ævo divi Ludovici ut Clemens quartus revocaverit provisionem à se factam de quadam Præbenda Remensi: quòd idem Ludovicus conquereretur tentatum id fuisse adversus jura regia. Id jus agnovit Gregorius decimus.

XII. Spolia etiam Episcoporum ad Reges pertinebant in Gallia.

I. SUPEREST itaque ut investigemus an Reges Francorum ad se traherent custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Ac primum quidem vocabulum ipsum investituræ satis indicat ita prorsus factitatum fuisse. Neque enim revera potuif-

sent Reges eorum concessionem tribuere, nisi ea habuissent in manibus. Hujus bonorum ecclesiasticorum occupationis introductio extat in capite octavo Capitulum Caroli Calvi: ubi statuitur anno DCCCLXXVII. ut post Episcopi obitum Metropolitanus ad Ecclesiam vacantem mittat Visitatorem, qui unà cum Comite sive Governatore eam custodiat, impediâtque ne quid ea detrimenti capiat. Si aliquis Episcopus interim obierit, inquit, Archiepiscopus ipsi sedi Visitatorem secundum sacros canones deputet, qui unà cum Comite ipsam Ecclesiam, ne præcedat, custodiat, usquedum ipsius Episcopi obitus ad vestram notitiam perveniat. Argumento autem sequentia erunt solitos Reges ea bona retinere donec electioni consensissent. Extat enim disertum hujus rei testimonium apud Ivonem Episcopum Carnotensem in epistola centesima quarta. Scribens enim ad Papam Paschalem ait Regem nolle consentire electioni Galonis pro episcopatu Belvacensi, neque etiam bona ecclesiastica dimittere in gratiam electi. Rex, inquit, non vult electioni assensum præbere, nec electo bona episcopalia dimittere. De bonis loquitur, absque discrimine ullo. Sed post habitum sub Callisto Remense Concilium, ea retentio coërcetur ad sola Regalia.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia ut divus Bernardus ad Ludovicum septimum Regem scribens de monacho quodam, qui ad episcopatum Lingonensem electus erat, adnotet eum noluisse ullam bonorum administrationem suscipere, donec eorum investituram accepisset à Rege. In quo ait Bernardus testatam eum fecisse fidem suam in Principem, quòd à nemine alio recipere voluerit ea quæ à Rege pendent quàm à Rege ipso. Hæc sunt ejus verba in epistola CLXX. Electio rite celebrata est. Electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra & non per vos habere vellet. Necdum prorsus se intramisset de aliquo; quanquam invitatio cleri & populi, & oppressorum afflictio, & vota bonorum, id ab eo vehementissimè flagitaverint.

III. At posteri, tametsi jure regio universa bona episcopalia occupare consueverint sede vacante, veterem tamen loquendi formulam retinuerunt, eam retentionem coërcentes ad Regalia. Rex quippe Philippus Augustus ad bellum sacrum proficiscens anno MCCC. Reginae matri suæ & avunculo suo Remensi Archiepiscopo regni Regentibus constitutis, præcipit ut Regalia retineant donec electus Episcopus fuerit consecratus. Regina autem & Archiepiscopus, inquit, tamdiu Regalia in manu sua teneant donec